

I.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi Amen. Nos Petrus Dei gracia rex Aragonum, attendentes quod nulli mortalium notus est terminus finis sui, ideo in nostro plenu sensu et sana ac integra memoria nostrum ordinamus et facimus testamentum. Et eligimus executores huius nostri testamenti venerabilem archiepiscopum Terraconensem quicumque pro tempore fuerit, Iozbertum episcopum Valencie, Rodericum Petri Poncii, commendatorem Alcanicii, Artaldum de Alago, Artaldum de Fossibus et Guilabertum de Crudiliis. Quibus rogando dicimus et eos monemus sub fide qua nobis tenentur, quod ipsi omnes vel saltem illi, qui adesse potuerint, compleant et exequantur hoc nostrum testamentum seu ultimam voluntatem nostram prout infra continetur et declaratur et ordinatur.

§ 1. Primo volumus et mandamus quod predicti executores huius nostri testamenti de redditibus terre nostre solvant omnia debita et restituant omnes iniurias nostri et domini Iacobi felicitis recordacionis quondam patris nostri regis Aragonum et aliorum antecessorum nostrorum, sicut hec probari poterunt per testes vel per instrumenta aut per aliam legitimam declaracionem; et hoc faciant de plano sine omni diffugio et malicia et strepitu iudiciario.

§ 2. Eligimus nobis sepulturam in monasterio sanctarum Crucum ordinis Cisterciensis quod constructum est in diocesi Terraconensi, mandantes quod corpus nostrum sepeliatur in predicto monasterio et quod sepultura nostra fiat bene et honorifice.

§ 3. Preterea dimittimus dicto monasterio sanctarum Crucum decem milia morabatinorum que mandamus converti in empcionem honorum ad opus dicti monasterii, et quod in instrumentis que fient de empcionibus dictorum honorum contineatur quod ipsi honores emuntur de dicto nostro legato decem milium morabatinorum, et quod nunquam ipsi honores qui ementur possint vendi vel alio modo alienari.

§ 4. Item volumus et mandamus, quod abbas et conventus dicti monasterii teneantur assignare sex monachos presbyteros eiusdem monasterii, qui singulis diebus perpetuo teneantur celebrare missas defunctorum et orare specialiter ad Deum pro anima nostra et pro animabus parentum nostrorum et absolvere tumultum nostrum.

§ 5. Item teneantur predicti abbas et conventus una die in prima septimana uniuscuiusque mensis facere perpetuo anniversarium nostrum, celebrando et rogando Deum pro anima nostra et pro animabus parentum nostrorum et absolvendo tumultum nostrum; et quod predictus abbas, quicumque fuerit, de fructibus honorum, qui de dictis decem milibus morabatinorum ementur, teneatur dare in unoquoque dictorum anniversariorum conventui dicti monasterii quinquaginta solidos monete Barchinonensis perpetue de terno pro pitancia ultra porcionem, quam debet ipse conventus habere de dicto monasterio.

§ 6. Item dimittimus monasterio Populeti ordinis Cisterciensis decem milia morabatinorum pro emenda et satisfaccione omnium eorum que dominus Iacobus felicitis recordacionis quondam rex Aragonum pater noster dimisit dicto monasterio in suo testamento vel codicillis; ita quod dicta decem milia morabatinorum convertantur in empcionem honorum ad opus dicti monasterii, et quod ipsum monasterium seu abbas et conventus eiusdem teneantur complere et facere omnia ea que dictus pater noster eis mandavit seu per eos complenda ordinavit, et quod dictus abbas et conventus teneantur absolvere et diffinire heredi nostro universali omnia in quibus nos eis teneremur ratione testamenti vel codicillorum dicti patris nostri.